

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3743

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Évreux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1270, 3 juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, accepte la pétition de l'évêque d'Évreux de restituer les possessions du chapitre d'Évreux acquises de l'abbaye Notre-Dame-La-Royale (Maubuisson).

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 795, p. 183.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, dilectis suis inquisitoribus deputatis ab ipso pro restitutionibus que in bailliviis Gisorcii et Vernolii pro anime sue remedio fuerint faciende, salutem. Dilecti et fidelis nostri Philippi Ebroicensis episcopi petitionem accepimus, continentem quod Johannes, quondam Ebroicensis episcopus, dum vivebat, et capitulum Ebroicense una cum eo acquisirunt, titulo empcionis, nostro interveniente consensu, ab abbatisa et conventu beate Marie Regalis juxta Pontisaram, Cisterciensis ordinis, quasdam possessiones sibi a nobis collatas in elemosinam, sitas infra methas foreste nostre Britolii, extra loca et feoda que de regalibus Ebroicensis ecclesie ab antiquo esse noscuntur, quarum possessionum (sic) redditus et proventus custodes regalium Ebroicensis ecclesie inibi deputati a nobis, quociens vaccarit ecclesia a viginti annis citra, levaverunt et nostris rationibus applicaverunt, pro parte ad jus episcopale spectante, usque ad summam sexcentarum librarum minus juste sicut idem episcopus asseverat, ex eo quod possessiones ille transierunt ad episcopum Ebroicensem, cum eadem libertate cum qua possidebantur (sic) a monialibus antedictis, hoc est sine regalibus habendis vel accipiendis a nobis. Unde vobis mandamus quatinus, pensato si ab aliis ecclesiis regalia recipimus in casu hujusmodi, auditis etiam aliis defensionibus nostris contra petitionem episcopi antedicti, inspectis litteris de consensu nostro super acquisitione predicta, et cognita plenius veritate super hiis que circa hoc fuerint attendenda, negocium ipsum de consilio dilectorum nostrorum atque fidelium nostrorum M. abbatis Sancti Dyonisii in Francia et S. domini Nigelle, quos deputavimus ad custodiam regni nostri et aliorum consiliariorum nostrorum, terminare curetis vel ipsis relinquatis sine debito terminandum. Actum apud Vallem Viridem die martis post Penthecosten, anno Domini M° CC° septuagesimo.